TRIBUNUS MEMUS

DUX XXV.

Electus Anno 979. obiit Anno 991.

SCHEMA VETUS.

Regis ab inſidiis defendens Imperialis
Othonis patriam, pondera multa tuli.

OPtimus ecce civis, ſed minor Principe: non enim ſatis optimo Principi ſancti mores. Auro dives (quod ad laſciviem, non ad Regnum) Animam potiùs hominis ſubiit: quàm Principis: cujus Spiritus, aureus exigitur in corpore ferreo. Satis homini, non ſatis Principi unica virtus: vel inter reliquas Iuſtitia una pro cunctis. Sine juſtitià nequit Princeps agere Pro-Regem Dei: cum ſine eà Deus ipſe minimè in Cœlo conſiſtat. Hæc ſola Regem diſgregat à tyranno. Munera reſpuit, perſonas non reſpicit: æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres. Feliciſsimus Princeps futurus Memus, niſi inno-